



historicus, cuius officium est, nihil veri tacere, nihil falsi scribere. Siccine ergo vestrates, vt Baronius, aliique sedis Romanae adultores sapiunt? Num perfidia, si eos ab erroribus liberamus, quibus vigiles, et doctores sumus dati, quibus, veritatis fideliter edocendae causa, deuincti sumus? Num perfidia, si illas notiones iuuentutem, nostrae doctrinae concreditam, de abusibus Romanae Ecclesiae, docemus, quae in mentibus illorum haerent, qui isti Ecclesiae adscripti sunt, et tam ore, quam calamo ipsi has corruptelas et artes Clericorum docent? Num deficit a fide et probitate, qui memor fidei suae, omnibus viribus, vt ab errore homines abducat, annititur? Imo fac, me deceptum esse errore quodam, id quod tamen, si vel spissiores dares litteras hortatorias, probare non poteris, fac, inquam, me deceptum esse, num clamor est, num furor, num perfidia, si cognitionem fideli animo sequens propono ea, quae vera esse credo, nec furo aut artibus vtor erga illos, quos errare mihi certo persuasum est? Ecclesiam Tuam errare credo: imo grauius errare scio, quia merita Christi aspernatur. Nihilominus Zelo Tuo, quem in illa defendenda declaras, quamdiu ita persuasus, non repugnante conscientia Tua agis, ignosco. Ego vero, quae Dei est gratia, claram Euangelii lucem intueor. Pulsae sunt tenebrae. Nec Euangelicos amplius tegit atra nox traditionum humanarum; nec fascinati sunt animi nostri commentis falsorum doctorum. In hac luce versor, certusque de illius praestantia, ita loquor. Improbum foret, si aduersus conscientiam loquerer, disputaremque contra illa, de quorum praestantia et bonitate animus est conuictus. Sed, quae scripsi, credo: et, vt locutus sum, ita sentio. Attamen isthac sinceritate, et isthac ingenua mei muneris obseruantia, meritis sum abs Te, *homo furiosus, scelestus, improbus, calumniatorque* appellari. Quid igitur illis, *Quirine*, Cardinalis, respondeam, qui Tuum candorem, qui mansuetudinem, qui animi Tui aequitatem in dubium vocant? Hominem insontem, furiosum, improbum, et calumniatorem appellare, num excusari poterit? Obiicis, me haereticum esse; me auctoritatem Ecclesiae Catholicae agnoscere nolle. Ita vero condemnas omnes, quibuscum litterarum commercium instituis inter nostros; ita omnibus fidem, ac probitatem abiudicas, quos amicos appellas Tuos, quos elogiis tot ornas. Num enim omnes, qui splendidae isti Tuae non fidunt iactationi, perfidi sunt? Num omnes calumniatores, qui doctrinae Vestrae contradicunt? Hoc videlicet velle adserere, idem foret, ac si diceres, neminem esse, qui de veritate Romanae Ecclesiae non conuictus sit,

fit,